

Christoph Gottfried Nicolaus Gesterding

**Specimen Meditationvm De Tractandi Ivs Romanvm Methodo Dominis
Commilitonibvs Ac Avditoribvs Svis Honoratissimis Exoptatissimisqve Exhibet**

Gryphiswaldiae: Litteris A.F. Röse, [1764?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1858879019>

Druck Freier  Zugang





K. N. — 2 (118.)

29. Balthineller num liberis absentes portionis a matre de bonis post obitum
dividendis cum aliquibus liberis inita iugra, mortua matre illam de-
beant implere?
33. Winstler de expensis termini.
34. Balthineller selectae quaedam a d. receptae sententiae evanida-
tae et reputatae.
35. G. B. Beermann de obligatione mandantis erga mandatarium fi-
nes mandati coarctentem.
36. Balthineller de successione viduae. ex lege Halensi.
37. Brantzen de remissione et mitigatione poenarum.
38. a. Brandwyx ad l. a. iuris g. de l. Rhodi de jactu.
39. Brand de legitima malefactor et sagas convincendi ratione et inve-
stigandi.

SPECIMEN
MEDITATIONVM
DE
TRACTANDI
IVS ROMANVM
METHODO

DOMINIS COMMILITONIBVS AC AVDITORIBVS
SVIS
HONORATISSIMIS EXOPTATISSIMISQVE

EXHIBET

CHRISTOPH. GOTTFR. NICOL.

Gesterding

IVRIVM DOCTOR IN ACAD. GRYPHISW.

ET

ADVOCAT. S. R. TRIB. WISM.

GRYPHISWALDIAE
LITTERIS A. F. RÖSE
REG. ACAD. TYPOGR.

33

MEDITATIONVM

DE

TRACTANDI

IVS ROMANVM

METHODO

DOMINI COMMITTONIBVS AC AUDITIONIBVS

SUIS

HONORATISSIMIS EXOPTATISSIMISQVE

EXLIBET

CHRISTOPH. GOTTER. NICOL.

Christophus

PHILIVM DOCTOR IN ACAD. GRÆCINÆ

ET

ADVOCAT. S. R. TRIN. WISM.

CHRISTOPH. GOTTER. NICOL.

ALTISSIMIS S. R. TRIN. WISM.

REG. ACAD. WISM.



PRAENOBILISSIMIS AC PRAESTANTISSIMIS
DOMINIS COMMILITONIBVS ET AVDITORIBVS SVIS

S. D. P.

Inter omnia, quae eruditionem adinent, hoc mihi peculiari attentione dignum videtur, qua methodo, quae ratione tractanda sit quaeuis disciplina, et magni nominis vir CHRIST. GOODFR. HOFFMANNVS *in inuit. sol. ad aud. orat. de orig. et caus. quaerel. de corrupt. Iurispr.* cautim inquit: *Magna certe eruditionis pars est scire, quid, et quomodo discere debeas.* Nec defuerunt eruditi, qui fere in omnibus ac singulis litterarum partibus eiusmodi vias ac ductus haud indocte commonstrarunt. Ordinem naturalem s. methodum systematicam nonnulli bene ac sapienter commendauerunt; sed, testante quotidiana experientia, non omnis, quin minor doctorum cohors istorum consilia sequuta est. — Compendia nostra ac sic dicta systemata nonnumquam ita promiscue conscripta sunt, vt illorum

a 2

autores



autores omnem fere ordinem ac dispositionem ignorare aut respuere videantur. Mitto reliquas scientias, et tantummodo pro scopo meo de ordine, quo Iurisprudentia, praesertim Romana sicque diffusa, huc usque plerumque pertractatur, et quo meliori modo proponeretur, meas aperiam cogitatiunculas. Praeprimis autem inquiram, quid de consuetis in iuris Institutiones et Digesta praelectionibus sit habendum, et quomodo istae praelectiones corrigendae ac emendandae sint.

Quam primum legum cultor sese iurisprudentiae finibus adpropinquat, ad iuris institutionum praelectiones conuolat et quidem eo animo, quo principiorum totius iurisprudentiae cognitionem solidam exinde reportaret. Sunt quoque legum institutiones, tamquam totius legitimae scientiae elementa in hunc finem promulgatae, ut primo breui ac simplici via iuuenes ad immensum iuris campum perducere possint. Id quod non solum ex §. 3. 4. et 5. *Proem. Institutionum*; verum etiam ex §. 2. *Inst. de Inst. et Iur.* abunde colligitur. Attamen, hisce Institutionum verbis naeuum inesse, non sine fundamento iam sentit ANT. MATTHAEVS in *Diss. XIV. de fundam. iur. aliter iac.*; cum hae imperatoriae institutiones minime gentium contineant ista laudata media; sed potius respectu finis saluberrimi quam maxime sunt insufficientes, et iurium tyrones spe sua destituuntur, simul ac collegium in istas Institutiones absolutum est. Frustra enim et ne principia quidem intra Institutionum limites *de pactis, transactionibus, restitutionibus in integrum, usuris, aedilitio edicto, euictionibus, probationibus, testibus, instrumentis, confessis, iudiciis, arbitris, sententia, re iudicata, possessionibus, Scto Velleiano, operis noui nunciacione, damno infecto, collatione bonorum, sponsalibus, iure dotium,*

dotium, diuortio, quaestionibus, poenis, adpellationibus etc. reperies. Cui incommodo accedit, quod, licet aliqualis in Institutionibus inueniatur ordo, hic tamen non tam in se, quam potius caeterorum iuris librorum respectu talis dici mereatur. Quis enim non perspicit, quod e. gr. *titulus XVI. in libro I. Institutionum: DE CAPITIS DEMINVTIONE* plane incongruo loco sit insertus, et haud absque ratione in dem II. *Articul des XXXVIII. Blatts der Urtheile über gelehrte Sachen* probatum dedi, quod generalis ista diuisio, iuris scil. personarum, rerum et actionum, quam in *§. ult. Inst. de Iur. Nat. Gent. et Civil.* inuenies, et secundum quam Ius in Institutionibus enodatur, omni iure sit taxanda.

Sed quid, nonne tyronibus nostris offerre possumus Institutionum compendia, quibus conficiendis viri maximi momenti multum operae et temporis posuerunt, et suntne ista compendia a recitatis vitiis ac defectibus immunia? Hoc quidem non in dubium reuoco, quod materiae in istis paullulum vberiores cum aliquali caeterarum iuris partium derogatione ac accessione exornatae sint, quin quod in singulis in se consideratis eorum titulis ordo quidam doctrinalis obseruetur; sed, quatenus non omnium Romanorum iurium principia edocent, et quatenus ordo librorum ac titulorum in relatione ad se inuicem inconcinnus ac idem est, qui in sic dicto Institutionum textu occurrit, eatenus haec compendia omnino essentiali laborant morbo.

Praeprimis quippe insufficientia harum Institutionum elementa in causa sunt, cur iurium discipuli etiam praelectionibus in Pandectas necessario adesse debeant, licet hicce legum cumulus nullo modo in



eum collectus sit finem. Hic descendunt legibus adscripti in cam-
pum ex quo

Carduus et spinis surgit paliurus acutis.

VIRGIL.

Nullus ordo, nulla disciplina per eas regnat. Libri, tituli ac fun-
gulac leges sine omni connexione in totum sunt congesti. Postrema
primo, prima postremo collocantur loco, disiuncta reperies quae
coniungenda erant, et coniuncta extant quae disiungi debebant. Ti-
tulus, *de his qui notantur infamia*, interpositus est titulis, *de postu-
lando* & *de procuratoribus*, et qui sint reliqui, certe risum mouentes.
Vnde et ICTi connexitatem titulorum in illis demonstrantes oleum ac
operam perdunt, quin nugas vendunt. De eo quidem consentio,
confusum Digestorum ordinem, si ita dici fas est, praefendum
esse istis ante legum reformationem temporibus, cum tot volumina
quorum duo millia erant, euolui deberent; ast tamen haec compara-
tio valde impropria est et quidquid Imperator *pr. Const. ad antecess.*
ant alibi de sua in ordinem redactione sese iactet, id tamen non tam
legum ordinem, quam earum harmoniam s. non contrarietatem indi-
care videtur, indeque omnino huic axiomati inhaerendum est, quod
confusio in Digestorum libris, titulis ac legibus vbiuis eluceat. Haec
itaque inconuenientia, tam studiis quam rebus agendis certe nociua ac
contraria, procul dubio in causa fuit, cur ICTi quoque Digestorum
compendia ediderunt. In his quidem praefertim nouissimis non nulli
textus tituli ac libri plane inusitati a numero reliquorum segregati sunt,
vti et in istis titulis, vsu adhuc seruatis, in se melior subrogatur ordo,
quin eorum defectus et legum derogationes ex residuis legum roma-
narum

narum constitutionibus redintegrantur, ita ut in Codicem et Nouellas peculiaribus praelectionibus haud indigeant iuris studiosi; ast tamen ratione subordinationis eorum titulorum ac librorum inter se haecce compendia pari laborant menda, ac ipse Pandectarum textus. Vnde autem simul patet, quod eiusmodi compendia potius *dispendia* et *devia itinera* denominari possint, quae discipulorum infirmum ac non satis praeparatum animum ubicunque vexant et confusum reddunt, studioque iuris quam maxime morae ac impedimento sunt, quin iuris scientiam non tantum in rem memoriae commutant, verum etiam opificum artibus, certo ordine tractandis, istam postponunt.

Quae cum ita sint, nonne serio animo quisquis ex ICtorum ordine secum voluere deberet, quomodo ista iurisprudentiae corruptela fit medenda, et certe nulla superest ratio, quare non ab ista serie, quam legum corpus Romanarum exhibet, recedimus. In quolibet enim iurium codice ordo tam anxie quaesitus haud quidem necessarius est, cum, uti prudentissimus ille a LUDWIG in *Vita Iustiniani M. c. 4. §. 5.* ait: *ius positivum non est philosophia*, et minus iste ordo, praesertim si breue legum digestionis tempus perpendas, conf. Confir. Dig. §. 12, in praecipuis iurium Romanorum partibus possibilis fuit; sed DDrum est, ut leges optima, qua possunt, methodo ac serie discipulorum suorum animis inculcant. Indeque sapientissimus ille HUGO DONELLVS in *Comment. Iur. civil. L. I. c. 1.* recte inquit: *a principibus est autoritas iuris, a peritis et intelligentibus via et recta ratio docendi.* Cui adsociandus est nostri aevi celeberrimus, Dn. IOH. STEPH. PÜTTER, qui hac de re in *§. Entwurf einer juristischen Encyclopädie §. 94.* vberiore ac lectu dignum sermonem sequenti in medium profert



fert modo: Und was das meiste ist, eine gute Ordnung ziert zwar auch ein Gesetzbuch. Sie ist aber bey der Menge von einzelnen ganz besondern Gesetzen, und noch mehr bey deren gemeiniglich verschiedenen Abfassung, in Ansehung der Zeit, der Veranlassung, der Verfasser u. s. w. in Gesetzbüchern ungemein schwer; und bey allen dem, wenn nur einigermaßen der Inhalt nach einer gewissen allgemeinen Abtheilung zu übersehen ist, und wenn vollends ein gutes Register hinzukommt, doch minder nöthig. Allein bey dem Lehrbuch und überhaupt, wo es auf Erlernung der Rechtsgelehrsamkeit ankommt, ist und bleibe die Ordnung die Seele des ganzen Vertrags, und nicht vielweniger wichtig als die Sache selbst. Nihilō secius tamen quam plurimi DDes eiusmodi reformationem in iuris romani doctrina haud admittendam esse contendunt, adeoque alia super aliis huius rei scrupula suo fingunt animo. Sed nescio, numne risu an misericordia potius digni sint, et quid est cum iis certandum, cum suos inter religionis articulos forsitan id quoque referunt, vt ne latum quidem vnguem a more tradito discedant. Et quaeso, quare reiiciunt isti sceptici saniozem iuris romani docendi ac discendi methodum, cum illam in iuris canonici, Feudalis caeterorumque iurium compendiis, secundum arbitriam s. naturalem ordinem conscriptis, ambabus adripiunt manibus. Porro cum in singulis, secundum textus Institutionum et Digestorum ordinem adornatis, compendiorum titulis methodus quaedam rationalis a DDibus obseruari potest; nullam quoque inuoluit contradictonem, si eiusmodi compendiorum libri ac tituli in relatione inter se, prouti ratio systematica suadet, mutantur et aptiori collocentur serie. Non deficiunt etiam ICTi, quorum plurimos recenset cel. D. HENR. CHRIST.

SEN-



SENCKENBERG in *Diss. de Iurispr. cert. method. tract.* quique propriis suis exemplis, tabulas nempe et compendia quin systemata totius iuris romani secundum naturalem ordinem conscribendo, huius rei scrupula reuellerunt, et licet non omni respectu laurum reportarent, praeferendi tamen sunt vulgari doctrinae, eorumque defectus supplere potest habilis docens vel commentator. Cuiusvis alius disciplinae elaborationes s. operae eiusmodi mendis sparsim contextae sunt, et quis sanus autorum conuitia imputaret ipsi eruditionis obiecto? Quin adeo concedam, quod eiusmodi iurisprudentiae scientificae perfecta compilatio, ob ingentem incertumque legum cumulum, multis obnoxia sit difficultatibus; ast inde eius impossibilitatem inferre, omni rationi repugnat, et potius ad praefationem JO. HENR. de BERGERI *Oeconomiae iuris* praemissam prouoco: *Ne vero illa de causa spes omnis abiicienda est, quin enitendum data opera, uti negotium hoc, quo tandem modo possit, perficiatur.*

Confugamus praeprimis ad Logicam, quae semper in studiis nostris fit optimus comes, quaeque non tantum ordinem mandat nostris meditationibus, sed etiam praestantissimas suppeditat regulas, quarum ductu ac auxilio compendia et systemata optima ratione conscripta formare possumus. Ordo ille cum, naturalis ac rationalis sit, necesse est, ita comparatus esse debet, ut nil in principiatis s. consequentibus occurrat, quod non ex ante adductis pronum veluti fluit alueo, et ad hanc normam non tantum longa iurisprudentiae sectionum series; sed quoque singulae veritates iuridicae sunt dirigendae. Ponenda sunt primo, mediante abstractione, principia generaliora, definitiones ac diuisiones, ex quibus propositiones et tum denique consectaria s. conclusiones

b

clusiones



clusiones rite recteque formantur. Quo autem veritates istae sint iu-
 stae ac legitimae, requiritur ut definitiones ac diuisiones non ita conci-
 piamus, vti ratio sibi ipsa relicta poposcit, sed uti ratio per leges istas
 romanas determinata iubet. Alias enim systema nostrum vt imaginari-
 um spectari et cuius exemplum esse potest Ingeniosissimi Dn. DAN.
 NETTELBLADTI *Systema Element. vniuers. Jurispr. pos. Imp. R. Germ.
 commun.* quod magis iuris naturalis s. civilis vniuersalis classi adnume-
 randum venit, fini autem nostro haud satisfacit. In dubium quidem
 non venit, quod magnam praebet vtilitatem, si iura positiua cum na-
 turalibus et adeo ciuitatis vniuersalibus combinantur legibus, ita vt Ro-
 manorum status, sub quo haec vel illa lex promulgata sit, adsumatur
 et tunc determinetur, quidquid sana ratio pro omnibus hisce circum-
 stantiis, quae statum illum constituunt, tamquam iustum vel iniustum
 statueret, quodque definiendum ac determinandum eo minus contra-
 dictionem s. impossibilitatem secum fert, cum, testante ipso sacratissi-
 mo Iustiniano, leges eius positiuae partim ex naturalibus desumptae
 sunt, §. vlt. Inst. et l. 1. §. 2. l. 6. pr. D. de Iust. et Iur. cf. quoque *illustr.*
 Dn. IOACH. GEORG. DARIESII *Jurispr. vniuers. §. 671. schol.* ast tamen
 eiusmodi sola ac fere a priori deriuatio nobis, vt ICTis quibus ad glorio-
 sissimum Imperatoris Iustiniani exemplum sine lege loqui erubescen-
 dum est *Nou. XV III. c. 5.* omnino non omnis sufficit, cum prin-
 cipi s. legislatori adhuc forsitan aliae circumstantiae, quae nos fugiunt
 aut prorsus latent, pro ratione iuerunt, in longe aliam et a no-
 bis alienam sententiam abire, indeque et aliam ferre legem, quam ra-
 tio videtur dictare. *Non omnium enim quae a maioribus constituta
 sunt, ratio reddi potest.* l. 20. D. de LL. Adde, quod leges positiuae
 non-



nonnunquam a legislatore f. eius consiliario haud satis provido ac prudenti, qui falsam reipublicae speciem sibi forsitan formavit, sint conditae, & omnino calculum mihi adicies tuum, quod ratio nostra iuxta illud: *sic volo, sic iubeo, stet pro ratione voluntas, car c'est mon bon plaisir* etc. principis dispositioni nihilo minus cedere debeat. Ex quibus simul colligere licet quod cuiusdam legistarum herois effatum: *legem allegare, ubi adsit naturalis ratio, esse infirmitatem intellectus*, censuram in multis mereatur casibus, et vniuersalem suam haud admittat adplicationem. Tutissimi potius ituri sumus, si praeprimis secundum leges positivas nobis obligantes construimus nostras in iure definitiones ac diuisiones, ex quibus tunc etiam nullae aliae propositiones ac consequentiae deduci possunt, nisi quae legibus respondeant, et semper DDrum est, singulas singulis, quantum fieri potest, legibus adlegendis ciuilibus confirmare ac corroborare.

Quis autem inficias eat, quod iuris elementa f. institutiones, quae secundum a nobis praescriptas normas ita confectae sunt, praeter ordinem commendatissimum simul soliditate ac perspicuitate exornatae sunt? indeque Imperatoris dictum, iurisprudentiam nempe *scientiam* esse, conf. §. 4. *Prooem. Inst.* §. 1. *Inst. et l. 10. §. 2. D. de Inst. et Iur.* omni iure defendendum erit. Licet enim de iurisprudentia haud praedicari possit quod sit scientia in *sensu strictiori*, cum iuris ciuilibus themata ex certis indubitatisque principiis deducere non valent interpretes; huic tamen adfentiendum est, quod *iur* denominatione scientiae in *sensu latiori*, quae etiam certitudinem probabilem vel moralem, aut si mauis, *iuridicam* comprehendit, omnino digna sit. ICtus itaque, optimo quamuis ordine instructus, non quidem Mathemati-



cis, apodictice demonstrantibus, equiparandus erit, bene autem Philosophis adsociari potest, et iam veteres Icti, *veram non simulatam, philosophiam adfectare*, l. 1. §. 1. D. de Inst. et Iur. sese recte iactabant, cum Philosophus in conceptu generaliori rerum rationes etiam probabiles vel moraliter certas explorare conatur. Ideoque etiam nullius momenti in iure erit, si Ictus propositiones suas verbis istis symbolicis: *axioma, theorema, Q. E. P.* etc. exornat, quae quidem Mathematicis propria sunt, sed et ab illis sine ratione sufficiente adhibentur. Eruditus enim absque istis signis intelliget autorem; ignorans autem ex illis Autoris intentionem nunquam percipiet.

Abfit a iure nostro haec charlataneria, quae veritati nil adiicit nihilque detrahit, et sine qua iurium tirones, si modo antea scientiis subsidiariis, praepriis iuri naturali, antiquitatibus, ciuitatis et iuris historiae incubuerint, dein autem praelectiones in totius iuris romani elementa, secundum determinatam methodum nostram conscripta, rite frequentauere, eruditorum parnassium ascendere valent. Cum enim exinde facultatem leges doctrinaliter interpretandi sibi comparauerint cum et omnium romanarum legum principia tenent; non opus illis erit praelectionibus in solita Institutionum et Digestorum compendia. Proprio Marte ac sufficienter instructis suis viribus adgredientur ipsum iuris romani textum, tamquam genuinum fontem illorum, qui se Ictos esse gloriari valent, et ab omni praepudicio remoti leges sibi obuinentes examinabunt et explicabunt. Id quod iam in votis cit. CHRIST. GOODFR. HOFFMANNI fuit, dicentis quippe in *Praecogn. gen. Iurispr. cap. 1. n. 55. VI. Non diu in compendiis ac systematibus haereat, sed haustis principiis, credat,*

se



*se plus ex ipsis Legibus, quam ex Doctorum commentariis discere posse, cuius rei simul cum Elegantissimo JO. GOTTL. HEINECCIO in dem Vorbericht s. Akad. Reden über dess. Element. Iur. civil. n. 2. admoneo, quod iuris studiosi bene agerent, si etiam occasione praelectionum, quas frequentant, leges singulari attentione dignas, quasue docentes in specie in praelectionibus interpretantur, ipsi euoluant tam in collegio, quam domi praeparationis et repetitionis gratia. Hinc quoque optandum esset, quod iurium doctores in Institutionibus istis, secundum nostram methodum conscriptis, non solum ipsissimis, quantum fieri possit, legum verbis vterentur, verum etiam allegationes notabilium legum diuersis typis subiicere curarent, vel adeo ad exemplum excellentissimi IVST. HENNING. BOEHMERI *Introduct. in Ius Dig.* istos textus cuilibet sectioni in fine adponerent.*

Præter leges interpretandi facultatem, quam tyrones, sic instructi, sibi adquirent, quoque hocce gaudere possunt emolumento, ut illis, ad quarumcunque quaestionum expendendarum enodationem, BARTOLVM, IASONEM aliosque consulere, non necessarium erit; sed, si modo alias iudicio polleant practico, iura ad hominum facta sibi que obuenientia prudenter adcommodandi non incapaces inuenientur, quod certe sine distinctis et ordine cogitatis ideis haud fieri posset. Callet itaque tunc Iuris studiosus non tantum facultatem proximam, leges interpretandi, verum etiam ius ad casus occurrentes adplicandi, in quibus robur atque potestas veri Icti consistit, et a rabulis, leguleiisque ac empiricis differt.



Reliquum est, ut addam, quod, si quis secundum naturalem nostrum ordinem iuribus romanis imbutus dein nihilo secius Digestorum collegium ad ductum compendiorum frequentare pro more solito cupit, certe feliciori successu fructus inde collegerit, cum iam omnium materiarum principia in iusta subordinatione iudicio suo demandavit. Tunc sibi fingat, quasi in iuris civilis bibliothecam introgrederetur, ibique modo huius, modo illius iuris romani materiam uberio-rem explicatam promiscue perlegeret. Praelectioniones autem in solita insufficientiaque Institutionum compendia sic erunt plane superuacua; non tamen dissuadeo, si tempus permittat, eiusmodi collegia frequentare, ubi docens ipsum Institutionum textum secundum hermeneuticae regulas *μεταφραστικῶς* explicat, quin et nonnunquam discipulis suis eiusmodi elaborationes iniungit, quo, mediante hocce exercitio, habitum leges interpretandi eo citius sibi adpropriet.

Haec est, COMMILITIONES ET AUDITORES HONORATISSIMI SVA-
VISSIMIQUE instituti mei ratio, quae praelectionum mearum in ius romanum norma est ac semper erit, quamque in hisce feriarum aesti-
uarum paucis et a negotiis vacuis diebus eo magis enucleare et publici
iuris facere mearum partium esse duxi, cum quidem plerique Icti de eo
consentientes sint, quod Iurisprudentiae naeuorum primaria causa in sola
methodo proponendi ac discendi leges lateat; non autem omnes ac
singuli DDes in certum iuris praesertim Romani tractandi modum,
conueniunt. Quodsi etiam forsan rem satis tritam sparsim adtulif-
sem; tenete tamen, quod de re laudatissima numquam satis dici possit,

et




et me vestra amicitia eo magis excusatum ac commendatum habebit,
si cuiusdam Poëtae symbolo:


On dit toujours bien ce qu'on dit,
Quand le coeur fait parler l'esprit,

subscribere Vobis placeret. Valet, Commilitiones ac Auditores or-
natissimi, atque fauete illi, qui omnes vires in vestram vtilitatem
salutemque vertere discupit et conabitur.

Dabam Gryph. d. 1 Aug. 1764.









Reliquum est, vt addam, quod, si quod iuralem
 nostrum ordinem iuribus romanis imbutus Digesto-
 rum collegium ad ductum compendiorum more soli-
 to cupit, certe feliciori successu fructus cum iam om-
 nium materiarum principia in iusta ficio suo deman-
 dauit. Tunc sibi fingat, quasi in othecam introgredi-
 retur, ibique modo huius, moani materiam uberio-
 rem explicatam promiscue plectiones autem in solita
 insufficientiaque Institutio sic erunt plane superuaca-
 nea; non tamen dissu permittat, eiusmodi collegia
 frequentare, vbi do tionum textum secundum her-
 meneuticae regula, explicat, quin et nonnunquam di-
 scipulis suis ei onones iniungit, quo, mediante hocce
 exercitio, hpretandi eo citius sibi adproprient.

H... TIONES ET AVDITORES HONORATISSMI SYA-
 uiss... mei ratio, quae praelectionum mearum in ius
 re... est ac semper erit, quamque in hisce feriarum aesti-
 a negotiis vacuis diebus eo magis enucleare et publici
 mearum partium esse duxi, cum quidem plerique Icti de eo
 ites sint, quod Iurisprudentiae naeuorum primaria caussa in sola
 o proponendi ac discendi leges lateat; non autem omnes ac
 ali DDes in certum iuris praesertim Romani tractandi modum,
 onueniunt. Quodsi etiam forsan rem satis tritam sparsim adtulif-
 sem; tenete tamen, quod de re laudatissima numquam satis dici possit,
 et

